This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600016451N





ALEXAND. PET. NAHUYS
ORATIO
INAUGURALIS
DE
RELIGIOSA PLANTARUM CONTEMPLATIONE, ACERRIMO AD DIVINI NUMINIS AMOREM ET CULTUM STIMULO,

PUBLICE DICTA

A. D. XXIII. Octobris anni MDCCLXXV.

Quum in Academia Trajectina ordinariam Medicinæ, Botanices, Chemiæ, & Phyſiologiæ profeſſionem ſolenniter auſpicaretur.



TRAJECTI AD RHENUM,
Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCLXXV.

1911. d. 10

NOBILISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS

INCLITÆ CIVITATIS TRAJECTINÆ

CONSULIBUS

ET

SENATORIBUS,

ACADEMIÆ

CURATORIBUS,

LITERARUM ET LITERATORUM

FAUTORIBUS,

ARTIUM VINDICIBUS,

BONORUM OMNIUM PATRONIS,

HANC ORATIONEM

SACRAM VULT

ALEXAND. PETR. NAHUYS.

ALEXAND. PET. NAHUYS

ORATIO

DE

RELIGIOSA PLANTARUM CONTEMPLATIONE, ACERRIMO AD DIVINI NUMINIS AMOREM ET CULTUM STIMULO.

PRÆPOTENTES ET ILLUSTRISSIMI REIPUBLICÆ TRAJECTINÆ ORDINES.

AMPLISSIMI CIVITATIS HUJUS CONSULES ATQUE SENATORES, ACADEMIÆ CURATORES MUNIFICENTISSIMI.

CURIÆ SUPREMÆ JUDICES GRAVISSIMI, INTEGERRIMI.

A QUI

QUI ILLIS A SECRETIS ESTIS, VIRI NOBILISSIMI, SPECTATISSIMI.

MAGNIFICE RECTOR, CÆTERIQUE DIVINARUM ÆQUE ATQUE HUMANARUM DISCIPLINARUM ET ARTIUM PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGÆ CONJUNCTISSIMI.

DIVINI CODICIS INTERPRETES CASTISSIMI, FACUNDISSIMI.

QUARUMCUMQUE SCIENTIARUM ET ARTIUM DOCTORES ATQUE MAGISTRI, CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, ACUTISSIMI.

CUJUSCUMQUE DENIQUE LOCI, ORDINIS, ATQUE DIGNITATIS AUDITORES HONORATISSIMI.

VOS TANDEM, GENEROSISSIMI JUVENES, ACADEMIÆ HUJUS ALUMNI CARISSIMI, PARENTUM GAUDIUM, NOSTRA VOLUPTAS.

Tu

Tu gramina pecudibus germinare facis, & herbam ad uſum Hominum, eliciens ex terra victum, & vinum, quod Hominum exhilaret animos —— & panem, qui Hominum corda ſuſtentet, —— Tu renovas faciem terræ. —— De Te ſuavis erit meditatio mea, ego lætabor in Jova. Ita cecinit pius & regius Israëlitarum Vates, quum attenta mente miranda Divini Numinis opera, &, inter ea, Herbarum Stirpiumque ſingularem plane fabricam & uſum contemplatus, divinam ſapientiam, bonitatem & potentiam, in omnibus illis, tanta cum majeſtate, reſplendere animadverteret, ut incredibili fere gaudio perfunderetur. Neque mirum, AA. HH., tot enim tantaque, divinarum virtutum monumenta recondit Plantarum illud, quod Botanicis dicitur Vegetabile, Regnum, ut Davidi, ut omnibus omnium, quotquot ex-

ſtiterunt vel exiſtent, Hominum ingeniis ſuaviſſimam piæ meditationis facile ſuppeditaverit materiam.

Hæc igitur quum ſerio mecum reputo, AA., multis Veſtrum, ſi non omnibus, haud injucundum, neque a munere, quod hodie, utinam bono cum Deo! auſpicabor, prorſus alienum fore puto, ſi Regis Davidis, impari licet paſſu, veſtigia legens hanc horam religioſo Plantarum examini dicaverim, & eo ipſo ad ſinceram Optimi Creatoris venerationem meum veſtroſque incenderim animos.

Itaque dicam, AA. HH., DE RELIGIOSA PLANTARUM CONTEMPLATIONE, ACERRIMO AD DIVINI NUMINIS AMOREM ET CULTUM STIMULO.

Ne autem miremini, AA., toto me contremiſcere corpore, cum, magnifica Dei opera perpenſurus, ad virium mearum imbe-

becillitatem & curtam ingenii ſupellectilem attendam; Cum Roſtra intuear, quæ toties diſertis & facundiæ plenis Togatorum ſermonibus reſonuere; Cum Mæcenatum, Eruditorum, &, quotquot huc confluxerunt, Auditorum oculos in me converſos videam. Sane ſuſcepti operis fere pœniteret, niſi bonæ cauſæ conſcientia, Veſtra benignitas, & expertum plus una vice divinum auxilium animum meum refocillarent. Agite igitur, AA. O. O. HH., æquis adeſte animis, meumque rudem atque omni Orationis cultioris ornatu & floſculis deſtitutum ſermonem ea, qua ſoletis, excipite benevolentia.

Quoties noſtris in Regionibus, redeunte Vere, vel & inſequente mox Æſtate læte virentem, & inſigni Plantarum, amœne florentium, numero ornatam, contemplamur Telluris ſuperficiem, toties in admirationem rapimur, numeroſam adeo, paulatim, e

Telluris gremio prodire Plantarum abundantiam, ut totum, quo gelida tempeſtate recludebantur, pulcerrimi inſtar velaminis, obtegant ſolum. Nec parum certe noſtram illam admirationem augere ſolet diverſa ſingularum Plantarum facies, & immenſa habitus externi ac formæ varietas, tantumque diſcrimen, ut omnium, vel parum modo attendentium, in oculos facile incurrat.

Quo attentius autem miram illam perſcrutamur Plantarum diverſitatem, quo majore induſtria & ſedulitate in veras Plantarum inquirimus differentias, eo magis earum numerum ſenſim increſcere non ſine tanto animi gaudio animadvertimus, ita quidem, ut aſſiduis & indefeſſis Botanicorum laboribus Plantæ, vel ſola noſtra in Patria, obſervatæ & deſcriptæ fuerint (quis tam exiguis in Regionibus tantam ſperet copiam!) Mille & Ducentæ.

Verum, quemadmodum noſtro ſub Cœlo haud ſpernendus occurrit Plantarum numerus, ſic aliis in Cœli plagis, noſtra hac calidioribus æque atque frigidioribus, novæ iterum & numeroſæ obſervatæ fuerunt, ab illis, quæ noſtræ Regionis incolæ ſunt, ſive Genere, ſive Specie differentes, ita ut, ſi omnes Plantarum, per Univerſum Orbem adhuc obſervatarum, ſubducantur calculi, numerus hic non multum abſit ab octo diverſarum Specierum Millibus. Dum interim, bene multas adhuc latitare, non ſine magna veriſimilitudine audemus affirmare.

Quis non obſtupeſcit, AA., tantum Plantarum numerum, in quibus inſignis adeo occurrit diverſitas, ut una ab alia, modo rite attendatur, propriis dignoſci queat notis, & ut ſingulis adeo Plantis ſua quædam conſtans ſemperque eadem inſit a reliquis differentia, quam ſi eadem accuratione, qua fe-

lici hoc noſtro ſeculo inveſtigari & definiri cœpit, antiquiſſimi etiam mortales indagasſent, & ad poſteritatis memoriam tradidisſent, haberemus, AA. HH., Teſtes gravisſimos, quibus planum faceremus id, quod nunc ſolis argumentis, certiſſimis tamen, efficitur, Plantas inde a Mundo condito, vel certe poſt Diluvium reſtituto, ſemper floruiſſe easdem, & per plura iſta ſecula ad hunc usque diem conſervatas eſſe univerſas! Temerarius certe ſit, neque facile excuſandus, qui ad tot prodigia oculos pertinaciter claudens, alium quam divinum hic agnoſcat Creatorem.

Unde enim mirabilis adeo & recta tot diverſiſſimarum Plantarum Effectio; Unde earundem per plura ſecula continuata Conſervatio; Unde perpetua illa in ſimilium Plantarum Magnitudine, Figura & Habitu externo, Conſtantia; Unde in ſingulis Plantarum e-

ejusdem ſpeciei partibus Voluminis, Formæ, Diſpoſitionis, Structuræ ſtabilis & peræqua Proportio; Denique unde Vitæ, Indolis, Conceptionis & Propagationis Lex certa & immutabilis, niſi mirandis illis molitionibus & cauſis, quæ ſimiles, in ſimili rerum conditione, effectus edere debent, præſideat Numen infinitum, quod una quaſi actione cauſas, tot mille modis differentes, quæ tamen ad magnificum adeo finem conſpirare debent, excogitare non tantum, verum & inexhauſta ſua potentia ita regere, & moderari noverit, ut finibus, quos ſibi propoſuit, tali, quo ſtatuit, modo ſatisfaciant? Ad cœcum enim Fatum, ad cauſas omni conſilio & poteſtate deſtitutas, vel etiam finitas recurrere ſumma eſſet dementia, & omnium, quotquot exiſtimus, experientiæ prorſus contraria. Itaque Deus eſt, AA. HH., qui, uti omnium & ſingularum Planta-

tarum eſt Auctor & Creator, ſic & omnes ac ſingulas ſua potentia & ſumma ſapientia potuit conſervare.

Verum, quando, ſcrupuloſo magis examine, ingens illud Plantarum Agmen ulterius perluſtramus; quando Plantam cum Planta comparamus, &, qua in re conveniant, qua vero diſcrepent, attentius perveſtigamus, nova naſcitur & abundans admirationis materia. Tum enim numeroſam illam Cohortem non cœco conatu, non vaga quadam creationis temeritate, non ſine ullo ordine, ullove conſilio, nexu, ſimilitudine, mutuave relatione fictam & formatam eſſe ultro detegimus. Contra, quæ de divino præſidio natæ erant in Mente notiones, mirifice nunc illuſtrantur, amplificantur. Nam, quantumvis licet multiplex, quantumvis diverſa ſit Botanicorum Opinio, quantumvis variam inierint viam, ad inſignem illum Plantarum

nu-

numerum certo quodam ordine diſponendum, hoc tamen uno confitentur ore omnes, ſuisque haud dubie demonſtrant & agnoſcunt conatibus, mirabilem adeo inter Plantas dari conjunctionem, ut, licet numeroſæ quidem obſerventur Familiæ, certa tamen ſimul inter Familias has locum habeat Affinitas & Neceſſitudo, qua multo minimum in Claſſium numerum ſe redigi patiantur, ac per proprias quasdam notas, in ſingulis obvias, & unicuique haud difficulter detegendas, quæque Planta ad ſuam, ad quam pertineat, Claſſem referri poſſit. Quis autem illam, multiplicem licet, conſtantem tamen notarum præſentiam, vel per minimum temporis momentum attentius cogitare poteſt, quin ſponte ſe commotum ſentiat, ut divinum ſuſpiciat Creatorem, qui, infinita ſua ſapientia & poteſtate, proprias illas Herbis imprimere & conſervare potuerit notas?

tas? Talis enim tantaque hic adeſt notarum conſtantia, ut, aliquot ſæculorum decurſu, variis globi terreſtris viciſſitudinibus, ſoli cœlique mutatione perpetua, & infinita fere rerum & temporum inconſtantia, nulla in ipſas inducta fuerit mutatio.

Si præterea, AA., perpendimus, omnes, quotquot exiſtunt, Plantas e Seminibus procreari, & incredibili diverſitate ad variam, certam tamen & definitam, increſcere Magnitudinem, tandemque, poſtquam ad incrementi culmen pervenerunt, inevitabili fato perire, procul dubio conſtantem hunc & mirabilem, in quavis Planta, ordinem obſervando intelligimus, majorem certe cœco & omnis rationis experti fato hic cauſam agnoſcendam eſſe. Tam certa enim adeſt & immutabilis in unoquoque ſemine particularum, quæ novam Plantam conſtituant, diſpoſitio, ut jure merito affirmari poſſit, to-

tam

tam jam in Semine contineri Plantam, ſola involutarum quaſi partium explicatione, ad ſuam magnitudinem evolvendam. Nihil hic dubium eſt, nihil incertum. Quin optimi Naturæ Spectatores, totam ſe Plantam, Microſcopii ope, in ſeminibus variis detexiſſe, non ſine magna veri ſpecie perhibent. Cultura quidem & Artes humanæ ad Floris Plantæque pulchritudinem & proceritatem, vel &, ſi, velitis, ad monſtroſam Florum deformitatem aliquid conferre, nequaquam vero Naturam ipſarum ita poſſunt immutare, ut ex ejusdem Plantæ ſemine alia, quam quæ, certa propagationis lege, naturaliter ipſi ineſt, exſurgat Planta. Qualis igitur ante aliquot annos aliarum Gentium, &, non ſine dolore dico, Noſtræ fuit fervor, dicam an inſania? qua Avenam, artificio ſatis ſimplici, in Secale convertere voluerunt, &, revera talem ſua arte ſe produxiſſe Meta-

morphoſin, gloriati ſunt; Conſtat tamen, & conſtat ſatis certo, nihil inde ad illos redundaſſe, niſi quod juſta Doctorum irriſione & cachinnis fuerint excepti.

Quæ quum ita ſint, AA. HH., quum unumquodque Semen ſuam intus recondat Plantam, & quidem accurate talem, qualis omnibus ſuis partibus illa fuit, in qua ipſum illud ſemen olim erat conceptum; nonne omnia hæc eo nos impellent, ut credamus, per inviolatas & a ſolo Deo ſcriptas quaſi leges, ex quolibet ſemine hujusmodi herbam naſci, in qua novum iterum gignatur ſemen, quod ſimilem omnino recondat, &, ubi in concipientem alentemque terram inciderit, efficiat quoque & fingat Plantam? Ita ut omnia Plantarum Genera & Species, conſtante hac, & nulla arte interrumpenda, ſerie perpetuentur. Certe, aut fallor turpiſſime, aut Vos omnes, AA. HH.,

HH., hac in re mecum habeo conſentientes.

Verum, quemadmodum perennis ille & immutabilis Plantæ, ſemini inſitæ, ortus haud dubia Creatoris omnipotentis indicia exhibet, ſic definita Plantarum Magnitudo, & certi, quibus circumſcribuntur, limites divini aliquid præ ſe ferre videntur. Quæ enim alia cauſa & ratio eſt, cur, quæ Planta ſemen alia majorem habet, ſæpe tamen ad proceritatem & magnitudinem multo minorem aſcendat; Quæ ratio eſt, cur e Cedri v. g. ſemine parum grandi arbor paulatim progignatur tantæ altitudinis, ut vertice ſuo nubes attingere videatur, dum contra ex Fabæ (Viciæ quædam ſpecies eſt) ex Fabæ, inquam, ſemine ſatis magno humillima tantum, ſi præſertim comparetur cum Cedro, procreetur Planta? Alia certe, quæ ſufficiat, nulla manifeſtæ hujus veritatis ratio reddi

reddi poteſt, niſi quod ſapientiſſimus & infinita potentia præditus Plantarum Conditor in principio, ubi prima earum creavit ſpecimina, certam ſimul fœcunditatis vim in ipſas quaſi infuderit, qua ad definitam, & Conditoris ſcopo ſatisfacientem, pervenire queant magnitudinem. Verum quidem eſt, naturam Soli, Cœli variam tempeſtatem, Culturam, & Artem aliquam hic mutationem afferre; non tamen, quod ſupra dicere memini, tanta illa eſt, ut, arbitrarium eſſe Plantarum Incrementum, cogi inde ulla cum veri ſpecie poſſit.

Ad Tempus præterea, quo Plantæ creſcunt, quo ſuum, ut ita dixerim, Senium attingunt, quo Moriuntur, ſi attendamus, magna quidem in diverſis Plantis obſervatur varietas, nihil tamen hic incertum, nihil arbitrarium. Aliæ enim Unius anni ſpatio ſummum capiunt incrementum, Flores ac

Se-

Semina proferunt & moriuntur. Aliæ intra Biennium demum ad perfectionis illud culmen provehuntur, & mox ſimile ſubeunt fatum. Aliæ iterum per Plures Annos creſcunt, floribus fructuque deſtitutæ, quando vero tandem aliquando illud attingunt ſtadium, quo flores emittant, eodem moriuntur anno, ſicuti in Aloë Americana, Lavateræ Specie, Muſa, Corypha, aliisque obſervamus Plantis. Aliæ tandem per plura ſæcula perennant, & forſan non, niſi morbo correptæ, intereunt. In omnibus autem his tanta detegitur conſtantia, & legum in prima ſtatim effectione procul dubio innatarum obſervantia, ut definitum Vitæ vel Mortis terminum nulla arte queamus migrare. Atque adeo non ab arbitrariis Cauſſis, multoque minus a fatalibus, verum ab omnipotente & Sapientiſſimo Numine, eoque ſolo, pendere hæc omnia, Nemo eſt, qui

non ex his rationibus omnibus effici recte & colligi confiteatur.

Si in fabricam porro Plantarum inquirimus, & Anatomico cultro ipſas Plantas, earumque partes ſubjicimus, ſi armato inprimis oculo admirandam earum ſtructuram examinamus, tum ſane non leviora offendimus argumenta, quibus ſapientiſſimum & potentiſſimum horum omnium Creatorem Deum eſſe pleniſſime convincimur. Fateor equidem, multa hic incerta & atra quaſi nube obducta latitant, quæ ſerior ætas & indefesſus Nepotum labor in apricum forſan prolaturus ſit, verum ipſum illud, quod toties hic doctam confiteri ignorantiam nos coactos ſentiamus, clariſſimam ſuppeditat demonſtrationem, qua ad firmam de divina Plantarum origine opinionem ducamur atque trahamur. In quo argumento vis tanto major ineſſe cenſenda eſt, quanto, quæ de Plantis

certo

certo cognita habemus, opinionem illam luculentius confirmant, eique pondus majus & robur addunt.

Plus uno enim extus circumdari Plantas Involucro, quo ab aëris externi defendantur injuriis; Fibras inſuper continere & Medullam; Vaſa ipſis ineſſe eorumque mirabilem decurſum, in ſingulis Plantis ut plurimum diverſum, per quæ nutritii e terra & aëre imbibantur ſucci, ad varias Plantæ partes deferendi; Spiracula adeſſe & Cellulas aëriferas; Glandulas eſſe additas, quæ oleoſos ſuccos & dulces excernant, & in receptacula, quæ ab ipſa hac ſuccorum dulcedine dicimus Nectaria, effundant; Utriculos reperiri varios, qui proprios unicuique Plantæ contineant ſuccos, & quæ plura divinæ fabricationis certa exiſtunt indicia, ſuſpicimus aſſiduo & admiramur.

Sed vero, AA., duplicem Plantarum Sexum ſi

præterea perpendamus & mirabilem inquiramus, quo Plantæ concipiunt, modum, tum certe ampliſſimus nobis aperitur campus, in quo luculentiſſima divinæ ſapientiæ & poteſtatis monumenta veneremur. In Plantis enim Mares eſſe atque Fœminas ſuo jam tempore ſubolſecit THEOPHRASTUS, & ſuſpicatus eſt PLINIUS, noſtra vero ætate GREWII, MORELANDII, GEOFFROYI, VAILLANTII, BLAIRII, BRADLEI & inprimis illuſtriſſimi LINNÆI laboribus tam certe comprobatum eſt, & a præcipuis TOURNEFORTII, PONTEDERÆ, ALSTONI aliorumque adverſariorum oppugnationibus tam egregie vindicatum, ut nullus Botanicorum hac de re impoſterum facile dubitaverit. Masculinæ enim partes Stamina hic ſunt cum ſuis Antheris, quibus Membrum virile Teſtesque referunt; Fœmininæ Germen, Stilus & Stigma, quæ Uteri, Vaginæ

ginæ & Oris uteri externi munere funguntur; Pollen adeſt fœtificum, quod uſu cum Semine animali conveniens, & ſuo tempore emiſſum genitalia fœminina, Stigmatis ſcilicet oscula dehiscentia, ſubit, ſuaque Seminali aura Sterile per ſe germen ita fœcundat, ut, facta conceptione fructus inde & ſemina proveniant, quæ terræ commiſſa ſui ſimiles & fœcundas iterum procreant Plantas. Dum contra, ſi caſtraveris Plantam, ſi Antheras, pollen ſuum adhuc continentes fœcundum, reſecueris, ſemina vel fructus inde proveniunt nulla, vel, ſi provenerint interdum, prorſus ſterilia, adeoque Plantarum propagationi inepta. Et in hac quidem plane ſingulari conceptionis machinatione inde primum elucet Sapientia Divina & Poteſtas, quod in corporibus tantum a ſe invicem diverſis, quantum diſtant Animalia a Stirpibus, tamen ſingularem quam-

dam Naturalium effingere & ſtatuere noverit convenientiam, ut, longe licet diverſo, quantum ad effectum tamen ſimili prorſus, modo procreationis ſcopum exſequantur. Admirabilem ſane hic, & nullis limitibus circumſcriptam ſuis quaſi veſtigiis deprehendi Mentem, atque divinam omnino potentiam, quæ inſignem illam, & infinita ſapientia excogitatam, creare & ſtabilire potuerit ſimilitudinem, nullus Veſtrum, AA. HH., indubium revocabit.

Sed non minora divinarum virtutum monumenta detegimus, ſi ad variam in variis Plantis Partium Genitalium collocationem attendamus. Ipſi enim, ſi ſpeciem illarum & formam antea in animo adumbretis, AA., eam certe fingetis partium diſpoſitionem, qua Pollen fœtificum, ex Antheris emiſſum, ad Stigma facile applicari, ipſique inhærere poſſit. Jam vero, quamvis tanta hic in partium

tium illarum diſtributione occurrat univerſarum Plantarum varietas, ut interdum, prima quidem fronte, non ſtatim appareat modus, quo Pollen Stigma attingat; ſingulas tamen accuratius examinando, eandem plane in receſſu animadvertimus partium diſpoſitionem, quam cogitando præcepimus, quæque divinam Providentiam eſſe clamat Plantarum Fictricem & Moderatricem unicam.

In illis enim Plantis, quæ Stamina & Piſtillum in eodem flore habent, & ita poſita, ut Antheræ Piſtilli Stigmate ſuperiorem, vel eidem æqualem occupent locum, res intellectu facilis eſt, fœcundum enim ex antheris emiſſum Pollen propria gravitate deorſum, vel & ventorum vi ad latera propulſum, ſubjectum ſibi aut proxime adjacens Stigma facile attingere, & ſatis large, pro ſumma particularum ſuarum copia, conſpergere poteſt, idque etiam facilius, ſi Stami-

na ita diſpoſita ſint, ut ab omni parte Piſtillum, coronæ ad inſtar, ambiant, quæ quum in longe plurimis obſerventur Plantarum Familiis, nobis ſimul commonſtrant, eum procreandi modum Plantis admodum eſſe familiarem, qui in beſtiis rariſſime, in Humano autem genere nunquam obſervatur, ut nempe unum idemque corpus, utriusque Sexus Vi & Genitalibus munitum, ſibi ſufficiat ſolum; Gravi procul dubio & manifeſta de cauſa, quod Plantæ, cum ex ſe & ſua ſponte loco moveri non poſſint, non poſſunt etiam, uti Animalia, ad ſe invicem accedere.

Verum, quemadmodum talem partium Genitalium diſpoſitionem ad facilem Stigmatis conceptionem ſapienter temperatam eſſe quivis facile concedet, ita ſummus rerum Moderator, qui imperio ſuo & voluntate Cauſas omnes gubernat Secundas, atque ita dirigit,

rigit, ut ad finem, quem ſibi propoſuit, concurrant omnes, ſæpe oppoſitam hic ingreditur viam, Piſtillaque interdum Staminibus fingit longiora. Non igitur Pollen, Antheris excuſſum, adverſus propriam gravitatem ſurſum eniti, Stigmatisque aperta attingere poſſe videtur oscula. Quid Ergo? Longiorum Piſtillorum Stigmata verſus breviores ſuas Staminum breviorum Antheras incurvantur, atque ita, quæ difficilis antea videbatur, nunc facilis redditur fœcundi Pollinis ad Stigma applicatio; ſicuti ex Caryophyllæis, uti vocantur, Floribus eſt manifeſtum, in quibus ſemper talem hæ partes conſervant ſitum, dum in Nigella arvenſi cornuta, Caſſia, Tamarindo, Paſſiflora, poſtquam masculum Pollen Stigmati adſperſum eſt, ad priorem redeunt poſitionem. Neque unica hac molitione, ſi Stamina Piſtillo breviora ſint, ſuum adſequitur ſcopum

divina ſapientia, verum in illis Floribus, quorum Antheræ in Cylindrum concreſcunt, Piſtilli Stigma Antherarum dum perforat Cylindrum, Pollen, eo tempore fœcundum, ſecum ducit, & ſic fœcundatum ultra Cylindri margines altius excreſcit.

Quemadmodum jam in Floribus Erectis Piſtillum Staminibus longius nihil impedire Conceptionem vidimus, ita brevius idem illud in Pendulis nonnunquam obſervamus Floribus. Sed quæ hinc eadem ac longiore ex Piſtillo naſci videtur difficultas, artificio non minus admirabili tollitur. Etenim eodem fere, quo ad ſuam pervenerit magnitudinem, momento explicitus flos e pendulo erectum nanciſcitur ſitum, & Stamina nunc longiora Piſtilli brevioris Stigma facile fœcundant, atque hoc perfuncta officio ad priorem redeunt ſitum; cujus rei illuſtre

præ-

præbent documentum Geranium & quædam Claitoniæ ſpecies.

Et ne vel hic quidem limites ſibi poni patitur Sapientia divina & Omnipotentia, verum modis longe pluribus Plantarum propagationi proſpicit ſapientiſſimus Creator. Sæpe enim in una eademque Planta hic Maſculus ille Fœmineus Flos eſt, &, ex his diverſi ſexus Floribus, bene multi interdum non paululum modo a ſe invicem diſtant, ſed ſatis interdum longo intervallo remoti ſunt. Quid igitur, qua molitione Fœminei, qui ad Maſculos accedere nequeunt, fœcundantur Flores? Hominibus nobis multam ſane hoc ipſum pareret difficultatem, nullam autem affert potentiſſimo rerum Arbitro. Hic enim Ventis quaſi miniſtris utitur, qui Plantarum Antheras concutiendo fœtificum excutiant Pollen, & ad propiores, vel paulo magis remotos Flores

Fœmineos transportent. Hic varia Inſectorum Genera mellei humoris, qui Nectariis continetur, dulcedine ad Flores allicit, quæ de flore in florem volitantia & pedibus, corpore atque alis fœcundum pollen vehentia a maſculis illud ad fœmineos transferant. Hic, ut Plantarum fœcunditas nullum capiat detrimentum, illis præſertim, quarum flores ſexus diverſi vel longe inter ſe diſtant, vel ſibi non directe ſuppoſiti ſunt, ſua cavit ſapientia, ne Folia, quæ pollen masculinum a fœmineis floribus ſint prohibitura, excrescant prius, quam perfecta fuerit & abſoluta fœcundatio; cujus rei quotannis in variis Arborum familiis, Quercu, Populo, Fraxino, Salice, Juglande, aliisque luculenta habemus exempla.

Eadem, quam modo indicavi, ratione concipere etiam flores, qui ex diverſis nati Plantis ex majore intervallo invicem jungi de-

debent & miſceri, facile jam intelligitis, AA. HH., ſive enim Diverſi Sexus Flores in eadem floreant, ſive in alia paulo remotiore Planta, res eodem redit, idem enim ille Ventus, eadem illa Inſecta æque ad Plantarum, parum inter ſe diſtantium, quam ad ejusdem Plantæ flores fœcundum transferre poſſunt pulverem.

Sed vero Plantarum fœcundationi Homunculis nobis prorſus obeſſe videretur modus ille admirabilis, quo Jatrophæ, quo Muſæ flores proveniunt & pereunt iterum. Utraque enim Planta masculos quidem & fœmineos ſed diverſo alit tempore, atque hinc Fœminei, cum non tantum primi prodeunt, ſed per paucos tantum dies vigent, jam emarcidi prorſus ac conceptioni inepti ſunt, quando ſubſequentes Masculi illis polline ſuo fœcunditatem importare poſſent. Quo modo igitur, jure merito rogabitis,

AA. HH., illis in Plantis fit conceptio? Facilis eſt reſponſio, poſtquam indefeſſa Botanicorum tentamina manifeſte ſatis demonſtraverunt, tum demúm hujusmodi Plantas fœcundum ſemen proferre, ſi plures in eadem area floruerint, non multum a ſe invicem remotæ. Eadem igitur hic, quam modo admirati ſumus, locum habet Machinatio, enim quum plures hæ, ſibique vicinæ, non omnes eodem accurate die floreant, evenire facile poterit, & eveniet adeo, ut Masculi unius Plantæ Flores iisdem diebus, quibus alterius Plantæ Fœminei, maxime vigeant, & blando quaſi conjugii munere invicem perfruantur, atque ita Genus ſuum propagent ad perpetuitatem.

Neque ſcio, AA., an majorem etiam admirationem mereatur, quod Valisneriæ & Valisneroidi proprium eſt, connubii genus. Fœmina enim Planta a Mare ſegregata ſcapo,

po, ſpiræ inſtar contorto, genitales partes ſub aqua (aquatilis enim Planta eſt) recondit, ubi vero adeſt jam florendi tempus, contracti ſcapi ſpira relaxatur, longior hinc redditur ſcapus, & quamprimum Corolla ad aquæ ſuperficiem pervenerit, unicum, quo gaudet, Florem aperit, ac tamdiu expandit, donec a Maſculo fœcundatus fuerit Flore, quo facto, contrahitur iterum ſcapi ſpira, & aquis ſubmergitur Flos Fœmina. Mas vero, cum in cœteris Plantis ſedi ſuæ affixus hæret, & Ventorum tantum atque Inſectorum beneficio conſuetudinem habet Fœminæ, hic contra, ubi ſub aqua primum adolevit, mox ſuam derelinquit Plantam, & a ſpica florifera prorſus ſeparatus, tanquam quæſiturus ſibi & adjuncturus Conjugem, adſcendit ad aquæ ſuperficiem, & dum ſuper aquam, per ventos varie agitatam, vagatur incertus, tandem

ad

ad ſponſam quaſi appellitur, eamque fœtifico ſuo polline beat.

Quis igitur, qui varios hos, quibus Plantæ concipiunt, modos, (neque his difficile eſſet addere etiam plures) ea, qua decet, animi intentione perpenderit, non agnoscat hic & miretur Gubernatorem & Temperatorem Deum; Quis adeo perverſi & infelicis ſit ingenii, ut, dum in ſimilibus inſuper Plantis ſimilem obſervet procreandi legem, ad Fatalem, & omni intelligentia deſtitutam confugiat Cauſam! Nullus Veſtrum eſt, AA. HH., quod certo confido, qui uti de reliquis, ſic & de his ſupremi Creatoris operibus non cum Davide Rege exclamaverit: *O! quam multa ſunt opera tua, qui cuncta ſapienter feciſti!*

Neque aliam Singulares nonnullarum Herbarum Dotes, quam divinam, arguunt originem. Quæ enim Mechanica vel Fatalis

Cauſa

Cauſa tantam Plantis imprimere poſſit, (ut cum Phyſicis loquar) Senſibilitatem, quanta in Mimoſa occurrit, ut, non tantum ad leviſſimum tactum, verum etiam ſola lucis abſentia, folia ipſius contrahantur, collabantur, & quaſi marceſcant; quæ Mechanica efficere poſſit Cauſa, ut, ſentientes quaſi Cœli aërisque variam temperiem, Plantæ & pluvium Cœlum & ſerenum ſatis certo prænuncient, quod tamen in Sonchi quadam ſpecie & Calendula pluviali, cui nomen a pluvia eſt, quam præmonſtrando Calendarii fere uſum præſtat, quotidie obſervamus; quæ tandem Mechanica Cauſa numeroſas Plantarum ſpecies Somni Vigiliæque facultate donare valeat, & quidem tali, ut ad ſatis certas diei & noctis horas expergefactæ & ſomno captæ explicent florem ſuum & claudant? Equidem ſane, niſi hic plusquam Mechanica vel Fatalis quædam Plantis pro-

ſpiciat Cauſa, nullus video, unde lege tam ſtabili & conſilio tam prudenti regantur hæc omnia & adminiſtrentur.

Quodſi porro, AA. HH., ad utilitates, quas Humano Generi Plantæ adferunt, contemplationibus noſtris adſcendamus, tot ſapientis & bonæ Providentiæ indicia menti ſeſe offerunt, ut verba deficiant, quibus magnifica Dei opera poſſimus dilaudare.

Quum enim inevitabili vitæ effectu quotidie moriamur, &, niſi trita reſtituerentur, per paucas tantum hebdomadas poſſemus durare; quanta certe ſapientia, quanta bonitas eſt! AA. HH., Judicem æquiſſimum, qui noſtra propter peccata noſtrasque rebelliones horrendis, quæ longius productam famem comitantur, morbis & cruciatibus nos potuiſſet objicere, pro infinita tamen ſua clementia, Plantarum innumerabili copia nos circumdediſſe, quæ grato non tantum, quem

quem palato noſtro imprimunt, ſapore ad ſui uſum ſponte quaſi nos trahunt & alliciunt, verum etiam admirabili, qua pollent, nutriendi facultate eam, quam facimus quotidie, Jacturam reſarciunt prompte & reſtituunt, ita quidem, ut, qui, paucas ante horas, laboribus & inedia exhauſti, viribusque fracti eramus, mox vel crudas, vel culinaria arte, varie præparatas Plantas comedendo, mire refocillemur, & vigorem priſtinum atque alacritatem recuperemus.

Ubi humores noſtri continuo vaſa permeando, & per varia organa neceſſarias ſecretiones & excretiones patiendo effœti, atque omni, qua Oeconomiam animalem reſtaurent, facultate privati jam mutari in deterius & cladem minari incipiunt; Ubi non amplius ſubtiliſſimos Vaſorum Mæandros placide perambulant, ſed ſpiſſati nimis & ad majorem acrimoniam corrupti, ſibi ipſis per

tenuia vaſa viam præcludunt; quanta benignitas, quam immenſa & nunquam ſatis dilaudanda bonitas eſt, tantam nos ſuccoſarum Plantarum fructuumque habere copiam, quæ noxiam illam humorum noſtrorum tenacitatem & acrimoniam, tenuiumque ſuccorum penuriam, tam grate nobis, & perquam jucunde, corrigant & ſuppleant? Tantum certe hoc eſt beneficium, tanta hic cernitur ſapientia & poteſtas, quantam vix mente aſſequi valeamus. Ipſæ enim illæ particulæ, ex quibus modo Plantæ conſtabant, dum læte in pratis hortisve virebant, mox noſtro ingeſtæ corpori, machinæ hujus mirabili actione in humanam convertuntur naturam, ita ut corpus inde bene vigeat, incrementum capiat & adoleſcat. Attendite, quæſo, AA., & perpendite, utrum Mortalium ſagaciſſimus, ſi certa experientia hanc Plantarum facultatem non comprobatam habe-

beret, vel conjectura fuiſſet aſſecutus, in Plantis tam admirandas latere dotes. Quod, uti Nullus Veſtrum eſt, niſi me omnia fallant, AA., qui non ultro neget & inficietur, ita ſoli Deo pro tantis in Humanum Genus meritis honorem habeamus, & unicum omnis bonitatis & ſapientiæ Fontem adoremus, qui, cum omnium corporum elementa finxerit, tum ad ſuos quoque fines regat & temperet ſingula atque univerſa.

Sed non unica hæc eſt, AA. HH., quæ Optimi Creatoris immenſa bonitate e Plantis ad nos redundet utilitas. Quum enim infeliciſſimus primorum Parentum lapſus & illicita eorum deſideria, nos in quasvis calamitates & morbos egerint præcipites, quale ſolatium in deplorata hac noſtra conditione ſuperfuiſſet, quale ad fugandos & depellendos morbos præſidium, niſi, juſta licet in Mortales ira accenſum, miſericordiæ ta-

men memor fuiſſet benignum Numen, Plantisque infudiſſet ſalutarem morbos perſanandi facultatem, & tantam quidem, ut, ſi non omnia, longe ſaltem plurima Morborum agmina Plantarum auxilio & ſuperare & in fugam conjicere valeamus? Sive enim Chronici ſint, ſive Acuti Morbi, ſive ex nimia Humorum Tenuitate vel Spiſſitudine, ſive ex varia eorum Acrimonia proveniant, ſive Humorum Abundantia adſit, ſive Penuria; ſive nimiæ ſint eorum Secretiones & Excretiones, ſive deficiant; ſive Rigiditas adſit ſolidarum partium, ſive Relaxatio; ſive furat earum Actio, ſive torpeat, ſive Febres tandem incendantur, ſive langueſcat, imminuta ſolidarum partium actione, corpus; Herbæ ſunt, AA. HH., Herbæ ſunt, earumque vires, quæ varios illos corrigere & emendare poſſint Humorum & Solidarum Partium a ſanitate receſſus. Poſſem,

ſem, ſi luberet, hæc omnia amplo ſatis Radicum, Stipitum, Foliorum, Florum & Seminum denique apparatu comprobare, quorum in morbis illis depellendis Virtus & Efficacitas, non fallaci vulgi rumore, nec levi imperitorum applauſu commendata, verum fida eruditorum Medicorum experientia comperta, certum promptumque ferat auxilium. Sed conſultius hic erit, AA. HH., cum habeam rem apertam & manifeſtam, enumeratione ſingularum Plantarum aures veſtras non fatigare.

Et præterea feſtinat mihi animus ad alterum, quod in Plantarum viribus diſpenſandis dedit benigniſſimum Numen, prudentiæ & bonitatis documentum. Pro clementia igitur, qua complectitur & fovet Genus Humanum vere ſingulari, unicuique Regioni proprias ſuas conceſſit Plantas, proprias Herbas, quibus Morbi, ex natura Soli & aëris

aëris varia temperie orti, feliciſſime debellari, & ſatis certo curari poſſint. Hinc Calidis in Regionibus, quarum Incolæ Putrida humorum Labe & ſolidarum partium Debilitate frequentius laborant, tanta reperitur grate aceſcentium & fragrante ſimul atque aromatica virtute gaudentium Plantarum copia, quibus utrique huic morbo tutiſſime medeantur. Hinc Frigidis in Regionibus, ubi Scorbutus & morbi ex Pituita oriundi ſuam tragœdiam ludunt, læte & abunde vigent Plantæ, quas Medici vocant, alcalescentes, quæ lentam pituitam acri ſua, qua pollent, virtute incidant & reſolvant.

Neque hic deſinit, AA., Plantarum utilitas, verum longe patet latius; ſi enim ad ſolum, quo fere omnes tinguntur Plantæ, colorem attendamus, hic etiam manifeſtum nobis divinæ bonitatis exhibebit indicium. Tanta enim cum adſit Plantarum copia, ut,

ſi,

ſi, urbe relicta, rura peragremus, quacumque convertamus oculos, præter Plantas videamus fere nihil; quanta eſt bonitas, Plantas non alio, quam viridi, adeoque tali exacte tingi colore, qui mediæ refractionis, ut dicunt Phyſici, commodiſſime omnium oculos noſtros afficiat? Qualia enim incommoda viſui noſtro inducerent, ſi candente magis colore oculos nobis præſtringerent; Qualia contra impedimenta importarent, ſi obſcuriore potius colore imbutæ aciem oculorum fallerent, iisque offerrent dubiam & parum manifeſtam ſui imaginem! Maximam certe hic ſuſpicio ſupremi Numinis benignitatem, &, quoties mecum reputo, pulcerrima Illum potentiæ ſuæ monumenta, ſuæ gloriæ non tantum, verum etiam noſtri commodi atque oblectamenti ergo creata, eo potiſſimum colore imbuiſſe, qui, dum oculis noſtris eſt gratiſſimus, ipſam etiam il-

lorum monumentorum contemplationem jucunditate ſua tam impenſe commendet, ut ſæpe nos non avocari inde niſi invitos ſentiamus; quoties, inquam, hæc mecum reputo, toties in amorem Dei rapior & admirationem.

Si porro perpendimus, AA. HH., haud paucas Plantarum, vel, ſi mavultis, Arborum familias, ſenſim ſeſe explicando tam lætam alere frondem, ut ardentiſſimi atque adeo altiſſimi ſolis radii denſam ramorum, foliorumque compagem penetrare nequeant; & præſertim calidiſſimis in terræ plagis (ubi & arbores ſunt omnium maxime proceræ) egregium Hominibus atque Animalibus refugium, in intolerabili ſolis æſtu, præbeant: ſi mecum conſidero, & ipſis noſtris in regionibus, urente Syrio, denſiſſimas Sylvas commorationes nobis jucundas exhibere, quorſum frigoris opaci deliciis illiciamur, ubi,

vel

vel grata quiete, vel placido corporis motu, ſuaviſſime reficiamus nos ac recreemus, & corpori adeo reſtituamus alacritatem, amiſſumque vigorem: hæc, inquam, ſi tacite mecum conſidero, non poſſum, quin divinæ bonitatis, ejusque immeritæ indicia hic venerer locupletiſſima.

Neque his finibus, quamvis ampliſſimis, AA., jam circumſcriptam eſſe cenſeatis uberrimam Arborum & Plantarum utilitatem. Eædem enim illæ Arbores, quæ patulis diffuſæ ramis, tempeſtate calida, nos a ſolis ardore defendunt, cæſæ poſtea & radicibus ſuis avulſæ ſcindi varie findique ſolent, ut, vel brumali tempore foco admotæ, ignem perpetuo alant, quo frigida noſtra & gelu quaſi conſtricta membra mire refocillentur, vel materiam præbeant, ex qua Ædes nobis, Navesque ædificent Fabri, quarum illas in maxima aëris inclementia jucundiſſi-

mum perfugium habeamus, his autem per vaſtiſſima etiam maris æquora tutiſſime vehamur. Plantæ deinde, quæ amœnum primo oculis noſtris ſpectaculum præbent, aliæ poſtea in paludoſam humum ſenſim converſæ, foco inſtruendo fiunt idoneæ, aliæ vario artificio Linum, Cotoniam, Cannabim, Vinum, Oleum, Pigmenta plurima, & quæ non alia? in varios vitæ uſus œconomicos, larga ſatis copia ſuppeditant.

Sed dicendi non eſſet finis, AA. HH., ſi per omnes ſingularum Plantarum utilitates ire vellem. Itaque ne longius excurrat Oratio, paucis perorabimus. Qui igitur, qua decet, animi intentione inſignem conſideraverit, quo terra ornatur, Plantarum Numerum, mirabilem earum per plura ſæcula Conſervationem, ſingulare, quo inter ſe conjunguntur, Affinitatis vinculum, conſtantem & ſtabili lege ex ſeminibus Ortum,

Ma-

Magnitudinem limitatam, certos naſcendi, creſcendi, moriundi Terminos, diverſum, quo ſingulæ concipiant, Modum, ſingulares Proprietates, & innumera denique, quæ nobis pariunt Commoda, & Utilitates; Qui hæc, inquam, conſideraverit, poteritne per momentum de ortu Plantarum divino addubitare; Qui totum quaſi mundum, in ſola Herbarum univerſitate, innumeris præſidiis, quibus infinitas fere vitæ expleamus egeſtates, abundare; Qui ex fertili Telluris gremio mille naſci auxilia obſervet, quæ miſeris Mortalibus, & propria infelicibus culpa, malorum levamen adferre, morbos depellere, & vitam in hac terra, ſi non plene perfecteque jucundam (hoc enim Cœleſtibus tantum reſervatum eſt Sedibus) tolerabilem ſaltem reddere poſſint; Hæc omnia qui æqua judicii ſtatera penſitet, num deprehendet alium, quam ſumme ſapientem,

potentem, bonam & vere divinam, quæ univerſam Naturam gubernet & temperet, Providentiam?

Ecquis igitur eſt, AA., cujus animus per attentam Plantarum contemplationem non incendatur flagrante in Deum amore, & ad veram ſinceramque benigniſſimi Numinis venerationem & cultum inflammetur, cum, pro infinita ſua bonitate & miſericordia, ad Generis Humani, ingrati licet & rebellis, non uſus tantum neceſſarios, ſed utilitatem etiam & voluptatem, tantam excitaverit Plantarum multitudinem, ut ubique Terrarum idonea adſit, vel ſaltem, mutuo diverſarum Regionum commercio, ab Exteris adferri poſſit copia, unde uberrima habeamus Alimentorum, Medicamentorum, Oblectamentorum, atque adeo vitæ ſuſtentandæ, conſervandæ, & bene jucundeque tranſigundæ præſidia? Ingratiſſimus ſit, oportet, AA., & Hominum

num commercio; ipſisque illis, quæ memoravi, bonis indignus, cui vel ſordeat intenta harum rerum conſideratio, vel animum tam parum commoveat, ut in ferventiſſimo, quo cæteri omnes a terra quaſi in cœlos abripimur æſtu, ſolus frigeat, ſolus, neglecto vero Artifice Deo, neſcio quam Naturæ vim & cœcum Fatum ſomniet.

Abſit, AA. HH., procul abſit, ut Noſtrum aliquis hac labe ſe inſici patiatur! contra curemus ſedulo omnes, ut Plantarum indolem & naturam diligenter rimando certiſſimam nobis & gratiſſimam de Deo opinionem confirmemus; Numquam certe veræ hæc pietatis alimenta negligendo committamus, ut noſtri nos languoris aliquando poſſit pœnitere. Millies, AA., amœniſſima perambulavimus prata, ſylvas, viridaria, hortos, & oculos iis ſpectaculis pavimus, quæ ſpecie gratiſſima & tacita quaſi eloquentia ad

com-

communem Creatorem animos evehere, & nos eo impellere debuiſſent, ut pro tot immeritis in miſeros Mortales beneficiis pias ageremus grates, ſed ſæpius etiam huic ipſius fere Naturæ exhortationi oculos nobis animosque fuiſſe præcluſos, ſi nobis ipſi non nimis placeamus, ultro confitebimur. Ita ſcilicet comparata eſt Hominis natura, tam ſumus omnes, quotquot vivimus, in Deum ingrati, ut, quæ quotidie ante oculos habemus divinæ bonitatis monumenta, ut, quibus ſingulis diebus laute fruimur, optimi Creatoris beneficia vix mentem noſtram tangant, aut commoveant, niſi ipſius Dei gratia, atque adeo novo & plane ſingulari ſtimulo ad bona hæc ex veritate æſtimanda erigamur & concitemur.

O! utinam hæc omnium, quotquot hic adſumus, Auditorum! O! utinam hæc mea, veſtraque, Commilitones optimi, qui mecum

cum Plantarum ſtudio operam navabitis, rara felicitas eſſet, ut, quam Plantarum multitudinem quotidie luſtramus oculis immenſam, eadem nos ad ipſum Plantarum Auctorem ducat Deum. Ita laudabili & perquam neceſſaria ſcientia non ad hujus tantum fragilis & caducæ vitæ uſus animum imbuemus, & Artis noſtræ proferemus pomœria, verum etiam hoc quaſi pabulo ad ſpem certam ſempiternæ poſt mortem felicitatis, Deo favente, alemur. Ita non curioſi tantum ſed & pii Naturæ Venatores erimus & Speculatores.

Pedem hic figere jam poſſem, AA. HH., niſi feſtus hic dies & læta ipſius diei ſolemnitas, niſi gratus animus & pia officiorum memoria me vel ſponte impellerent, ut ad VOS me convertam, VIRI GRAVISSIMI! ACADEMIÆ HUJUS CURATORES MUNIFICENTISSIMI. Placuit

enim Vobis, MÆCENATES OPTIMI! ab illuſtri Gelrorum Athenæo me ad Veſtram evocare bonarum Artium Sedem, eo quidem tempore, quo nihil minus poteram exſpectare. Placuit Vobis, quæ Medicinæ Partes deceſſu Celeberrimi Hahnii vacuæ erant, easdem mihi demandare, nova etiam Provincia cumulatas, neque Veſtris ego perquam honorificis deſideriis vel potui reſiſtere vel volui; Etſi enim, quando Deceſſoris merita ſolidamque Artis, qua pollet, notitiam perpendo, & meas, quas ſentio, quam ſint exiguæ, ingenii dotes, curtamque doctrinæ ſupellectilem cum iis comparo, vereri ſæpe ſoleo, ne imprudentius forte meum mihi propoſitum, oblatam dignitatem conſtanter amovendi, eripi paſſus ſim: Sentio tamen ab altera parte, obſequendum fuiſſe inſigni Veſtro favori, Veſtræque, nimis forſan benignæ, de me meisque ſtudiis opi-

nioni.

niori. Itaque, quem aſſequi poſſe deſpero Hahnium, ſequar tamen, quam potero, proxime, & Partes mihi demandatas tanto ſtudio tantaque induſtria adminiſtrabo, ut, ſi vel maxime vires forte deeſſe exiſtimetis, intelligatis tamen, voluntatem eſſe laudandam. Quod igitur unum poſſum audeoque polliceri, omnes adjuvante, quod enixe precor, Deo intendam nervos, ut nullum Academia Veſtra per me capiat detrimentum, utque ego, quam de me meisque ſtudiis fovetis, exſpectationem, nimis benignam licet, quatenus tamen poſſim, diligentia & aſſiduitate ſuſtineam; atque hæc promiſſa vere ſancteque ſervantem Vos Veſtro favore complectamini perpetuo, erigatis, confirmetis.

Quod ſupereſt, gratias Vobis, VIRI AMPLISSIMI! ex intimis animi ſenſibus, quas poſſum, ago habeoque maximas, nihilque

jucundius, exoptatius nihil mihi unquam futurum eſſe, quam Veſtram demereri benivolentiam, publice obteſtor. Cæterum ſupremus rerum Arbiter Vos, Veſtrasque Familias diu ſervet incolumes; quæ vero in hac Terra, & quæ poſt inevitabile corporis Fatum, ad veram proſunt felicitatem, ut cumulata Vobis benigniſſime largiatur ſupremum Numen, ex animo voveo & precor.

Jam quæ cariora mihi compellanda ſunt Capita, quam VOS, VIRI CELEBERRIMI! hujus bonæ mentis Sacrarii STATORES & ORNAMENTA, quam VOS, inquam, quibuscum, ſocietatis & ſtudiorum vinculis junctus, feſto hocce die, amicitiæ fœdus ſimpliciter & candide inire cupio. Hoc enim mihi conſtans & ſanctum animi propoſitum ſemper & ubique fuiſſe, ut, illos, quos Collegarum aut amicorum nomine

ne ſalutare mihi contigit, liberali coluerim amicitia. Teſtes advocare nullus vereor, quem ante biennium fauſtis ominibus Veſtram in ſocietatem recepiſtis, BONDAMIUM, quemque mecum ad hoc Lyceum acceſſiſſe cum maxime lætor, ROSSYNIUM, hunc nuper, illum olim in Gelrorum, & nunc ambos in hac Academia Collegas æſtimatiſſimos. Recipite igitur, ex animo precor, recipite, VIRI CELEBERRIMI! Collegam, qui, etſi doctrinæ & eruditionis fama meritisque Vobis me longe inferiorem ſentiam, tamen vel ſola hac conditione Veſtram implorare audeo amicitiam, ſi eandem Vobis probem fidelitatem & integritatem, qua gratias Collegarum & Amicorum, quos habui, omnium adquirere & retinere adhuc ſum conatus. Recipite igitur Collegam, publica Auctoritate Ordini Veſtro adſcriptum, illique blando Veſtræ familiaritatis

tis commercio & doctis Veſtris conſiliis vires animumque addite, ut, quod imbecillis humeris grave onus impoſuit, eo facilius ſuſtinere & Vobiscum ad tuendam atque augendam Academiæ gloriam & ſplendorem conſpirare, piisque Mæcenatum, Commilitonum, atque omnium Bonorum Votis ſatisfacere queat.

Faxit interim Deus, ut, diu ſoſpites & ſalvi tranquillam & amœnam, nullisque calamitatibus interruptam tranſigatis vitam, &, ſi tandem (quod omnium commune fatum eſt, & Bonorum in hac terra unicum ſolatium) ſenio confecti, ultimum vitæ terminum attigeritis, in feliciſſimam beatorum ſedem Vos recipiat omnis bonitatis & miſericordiæ, Chriſto propitiante, fons & ſcaturigo, benigniſſimus Deus.

Ad Vos tandem accedo, quotquot Medicinæ operam navatis, COMMILITONES

SUA-

SUAVISSIMI! noſtra in poſterum cura, noſtræ deliciæ. Veſtris commodis, Veſtræ utilitati ut ſerviam, aliunde ad hanc evocatus Academiam, & gravi docendi Munere ornatus ſum. Maximo igitur cum animi gaudio & voluptate me Vobis Veſtrisque ſtudiis ſacrum volo, & in præcipua ſemper felicitatis meæ parte reputaturus ſum, ſi ad progreſſus Veſtros aliquid conferre, ac recens adhuc & crudum, quod Vobis illatum fuit, vulnus aliquomodo poſſim lenire & conglutinare. Id ſaltem omni, qua poſſim, mentis intentione laborabo, ut nihil linquam intentatum, quo Vos poſſitis juvari, Veſtrisque proſpici poſſit commodis; Modo experiri mihi liceat, labores noſtros Vobis neque ingratos plane eſſe, neque inutiles. Hoc enim comperiſſe maximum mihi addet calcar, & impenſi laboris dulciſſimum, ſi non unicum, quod quidem

ego

ego deſiderem, erit præmium. Agite igitur, GENEROSISSIMI JUVENES! me duce, vel ſi mavultis, ſocio ſtudiorum, ab omni oſtentatione, ab omni faſtidio & arrogantia alieniſſimo, utimini, ac docilitate, diligentia, & moribus ad humanitatem compoſitis, efficite, ut intelligam, ita Vos meam felicitatem ſartam tectam cupere, uti Veſtram ego perfectam eſſe cupio, & omnibus numeris abſolutam.

D I X I.